

16



CD. 100

794² gm



12

M E D I C A T I O
V I R I
V E T E R N O S I :

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

JUSTUS à WYCK Ultrajectinus.

Ad diem 17. Iunij hora 9. matutina.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,

ANNO M. DC. XLVI.



Perspicacis Ingenii, & multijugæ eruditionis
IUVENIBUS

| | | | |
|-------------------------|---|--------------------|-------------|
| D. IOHANNI de SCHAFTER, | } | In Lugd. Batava | } Academia, |
| D. HERMANNO SANTENO, | | | |
| D. RUTGERO à LOEN, | | | |
| D. CORNELIO ELBARCHS, | | | |
| D. FRANCISCO HAESBAERT | | | |

Medicinæ Studiofis vigilantissimis, quondam meis in
certamine Medico commilitonibus & Collegis.

*In illibati affectus arrham, Hoc Medicum
γύμνασιον Merito: ex officio*

Inscribo, Dedico, Offero

JUSTUS à WYCK,

M E D I C A T I O

V I R I

V E T E R N O S I:

I.

Vir quadraginta annorum, pituitosus, crassus, pinguis, deses, ebrietati & ingluviei deditus, postquam per aliquot dies de capitis gravitate esset conquestus, in tam inexplebilem dormiendi incidit propensionem, ut quicquid ageret dormire cuperet, & in somnum assiduò dilaberetur. Malum jam ita crevit, ut magna difficultate per clamores & vellicationes excitatus oculos vix attollat, aliena incondito murmure loquatur, & mox in somnum relabatur. Quandoque expergefactus matulam mingendi causâ postulat: verum mox ejus oblitus, urinam in lectum inscius effundit. Totum corpus tactu justo calidius sentitur: Calorque sub vesperam est intensior. Pulsus mollis est, celer, inæqualis & debilis. Respiratio lenta. Urinæ sunt crassæ & turbidæ.

Afficitur in hoc ægro totum corpus, quod docet ingluvies & ebrietas atque urina crassa & turbida: sed præcipue cerebrum, quod probat magna illa somnolentia: & præterea cor, ut constat ex feбри.

II.

Morbus, qui eum tenet, est veternus, sive intemperies totius corporis, & præcipue capitis, pituitosa, quæ putrescens febrem, & cerebri substantiam suo pondere gravans, somnolentiam talem inducit, quæ græcè *lethargus* dicitur.

N 2

Causæ

III.

Causa hujus morbi *procatarctica* est ingluvies & ebrietas, cui nuper æger indulgens magnam pituitosorum humorum copiam in toto corpore collegit, quæ pro *antecedente* ejus causa est habenda. Eaque in corpore putredinem concipiens, ac in corde vehementius incalescens, & deinde per totum corpus ac præcipue in cerebrum delata, illudque suo pondere premens, *continens* hujus morbi & symptomatum omnium est causa.

IV.

Nam sanguis pituitosus, in venis putrescens & inæquales partes habens, cum cordi perpetuo novam incendii causam suppeditet, illudque in totum corpus per arterias se diffundat, hinc oritur febris continua; quæ calore justo majore, pulsu celeri & inæquali, sese prodit. Magna vero istius pituitosi sanguinis portio, in cerebri substantiam & meningum poros delata, induxit primum capitis gravitatem; eaque ibi aucta cerebri molem ita oneravit, ut spiritus animales, qui in ventriculis existunt, illud satis attollere, ventriculosque & nervos subjectos sufficienter distendere nequeunt, somnolentiam magnam, & postea etiam soporem tantum pepererint, ex quo vix ullis clamoribus & corporis vellicationibus, spiritus in cerebro dilatantibus, excitari æger possit; & si aliquantum experge fiat, recte tamen audire, oculos satis aperire, & oportuna loqui nequeat, ac proinde inconditum & inconveniens murmur edat, matulæque exhibitæ obliviscatur, imo mox in somnum ob cerebri gravitatem relabatur, & inter dormiendum urinam, ob nervum, qui vesicam per influentes spiritus claudit, affectum, in scius in lectum effundat.

V.

Sub vesperam ingravescit febris, quia materia morbifica in cerebro existens, sub id tempus, propter peculiare suum temperamentum, tam matura evadit, ut in venas sese per rarefactionem effundens ad cor deferatur, ibique calorem cordis & deinde totius corporis augeat.

Nec

VI.

Nec est quod miremur pituitam putrescentem posse febrim,
& hinc delirium aliquod, hinc excitare, nam etiam lactuca &
gramen aliaque similia frigida per putredinem sæpe incalescunt;
dum sc. per eam insensibilium particularum pori ita disponun-
tur, ut æther, in iis se vehementius movens, calorem, sive va-
rium insensibilium partium motum, in illis producat.

VII.

Hic affectus celeriter, nisi celerrimè ei occurratur, occidere
solet, ideoque ocissime illi medela adhibenda:

VIII.

Eaque consistet in causæ antecedentis & continentis ablatio-
ne, & intemperiei cerebri per contraria correctione.

IX.

Primo itaque educatur sanguis per phlebotomiam è brachio ad
uncias octo.

Et deinde mox injiciatur hic clyster:

R. rad. altheæ unc. ij.

herb. malvæ,

bismalvæ,

parietariæ,

betæ,

mercurialis an. m. j.

flor. camomill.

meliloti an. m. s.

furfuris macri p. ij.

docoq. in aq. comm. ad lib. i. in qua dissolve elect.

diaphanici, catholici an. dragm. vj. mellis rosati unc. s.

olei camomill. unc. j. s. salis dragm. j.

Misce F. Clyster mox injiciendus.

Postea hoc utatur oxyrhodino leviter repellente:

R. aq. rosar.

camomillor. an. unc. ij. s.

ol. rosacei unc. j.

N 3

CATHO.

camomillor. vnc. s.

acetii optimi dragm. vj.

M. F. oxyrhodinum, tepide cum pannis capiti
adhibendum.

Deinceps ad ea remedia deveniendum quæ agrum excitare
possunt: qualia sunt, frictiones asperæ dorsi & artuum, vincula-
que iis injecta ac frequentius soluta; tractio pilorum.

Præterea hoc usurpetur apozema,

R. rad. cicborii

Polypod. q. an. vnc. j.

feniculi, petroselini,

asparagi an. dragm. vj.

herb. betonicæ, melissæ, hyssopi,

capilli veneris an. mj.

flor. anthos

stachados

camomill. an. p. j.

sem. anisi

feniculi an. dragm. v.

decoq. in aq. comm. ad lib. j. s. addendo sub finem

fol. sennæ vnc. ij. salappæ vnc. s.

Colature adde syr. de hyssopo vnc. ij.

aq. cinnamomi vnc. j.

F. Apozema, de quo sumat quotidie uncias quatuor
semel vel bis, pro ratione operationis.

Et adhibeatur tale vesicatorium, post cucurbitas humeris,
dorso, & natibus adhibitas:

R. pulv. cantharid. scrup. j.

euphorbii scrup. s.

piperis gr. vj.

fermenti acid. vnc. s.

F. vesicatorium, collo circa nucham adhibendū.
Circa tertium diem præscribatur hoc linimentum.

R. ungenti alaba strim vnc. s.

olei

olei liliorum dragm. iij.

de castoreo dragm. ij.

M. F. linimentum, quo caput cum pannis adhi-
bitis illinatur.

Sumatque hunc bolus.

R. *theriaca androm. serup. v.*

castorei in oxymelite sol. gr. v.

M. F. bolus, sex horis ante pastum exhibendus.

Tandem ubi vis morbi & febris jam plusculum erit superata,
cerebrum tali medicamento erit corroborandum:

R. *conserv. lavendulae, salviae, anthos,*

betonica an. vnc. s.

calami aromatici condit.

nucis moschatae cond. an. dragm. ij.

spec. aromatici rosati

diambre an. serup. ij.

theriaca serup. j.

Cum syr. de stechade. q. s.

F. Electuorium, de quo sumat castaneae quanti-
tem bis in die.

X.

In victus ratione aër sit moderatè calidas, & castoreo, pule-
gio, hyssopo, origano & aliis similibus alteratus. Cibus ubi
malum nonnihil remiserit, sit paucus, calidus, ad concoquen-
dum & ad distribuendū facilis, uti sunt pulli gallinacei, capi,
gallinae. Alimenta quoque poterunt condiri salvia, thymo,
hyssopo, roremarino, majorana. Potus sit aqua mulsa à vino
abstineat usque ad declinationem morbi. Exercitii loco sint fri-
ctiones validae, unctiones curriculo factae. A nimio somno ar-
ceatur aeger; & tantum dormiat, quantum saltem viribus con-
servandis sufficiat. Et quia praë oblivione aut stupiditate excre-
menta alvi & vesicae deponere negligit, idcirco de excretionem
est admonendus. Curandumq; ut vel sponte vel arte alvum quo-
tidie deponat.

C O R O L L A R I A.

1. **C**hylus per arterias ad Cor non defertur nec ab iisdem attrahitur, sed per venas gastricas, mesaraicas, & lacteas, ad Hepar, & ibi ulterius Coctus, ad Cor fertur.
2. Nec recipio quod quidam Hepati, contra Galenum, sanguinis coctionem aut preparationem adimant.
3. Sanguinem per carnes ex arteriis transcolari in venas, dicere periculosum est. Facilius datur via, ex arteriis per occultas & oculis manifestas anastomoses in venas, cum arteriis continuas.
4. Cor & arterias foetus in utero moveri docet experientia. Negotamen id fieri ideo, quia Cor & arteria matris moventur.
5. Nec placet (quod ambrosius libr. de carnibus) foetum per os materno lacte in utero nutrir, & respirare.
6. Coctio in ventriculo ab excremento Melancholico, è liene per vas brevem eundem regurgitante, non adjuvatur. Nec ejusdem constrictio.
7. Medicamentorum vires incidendi refrigerandi & similes, non sunt occultae. Nec obstat, quod à forma oriuntur.
8. Datur revulsio, eaque in pleuritiide non nunquam instituenda. Nec obest circularis sanguinis motus.
9. Non omnia venena inferunt putredinem. Non tamen morbum faciunt aut formam, aut totius substantiam.
10. Quamvis chylus ex ventriculo & intestinis in venas gastricas & mesaraicas feratur, nihil tamen periculi est, ne sanguis ex illis venis in ventriculum & intestina sese effundat.
11. Cor non tantum est in naturali statu cum detumuit, sed etiam cum intumescit & intumuit.
12. Cor movetur non tantum per rarefactionem sanguinis in ventriculis ejus existentis, sed etiam per spiritus in fibras ejus influentes.
13. Cordis Diastole non ex ventriculorum expansione; sed ex parenchymatis ejus intumescencia est aestimanda.
14. Nec Cor, nec ullae aliae corporis partes, attrahunt sanguinem; sed ille ad illas nutriendas in eas impellitur.
15. In metu non refluit sanguis per arterias ad cor, nec fugit objecto ingrato.

F I N I S,


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





ollaria.

tia provenire; & sensum à mem-
uibuscum infertur.

operationes principes in cerebro

temperamentum pulmonis inna-
humidum.

cur surdi à nativitate sint muti
non possunt? Neg.

12

M E D I C A T I O
V I R I
V E T E R N O S I :

Q V A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit

JUSTUS à WYCK Ultrajectinus.

Ad diem 17. Junij hora 9. matutina.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS. à NOORTDYCK,

ANNO M. DC. XLVI.

